



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioan. Crombecii Societatis Iesv Presbyteri De Stvdio Perfectionis Libri Dvo

Crombecius, Johannes

Mogvntiæ, 1614

XXXII. Caritatem esse beatitudinem, ac proinde Perfectionem: quod itidem
allatis octo eiusdem insignibus ac titulis probatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51132)

C A P. XXXII.

*Caritatem esse beatitudinem, ac proinde
PERFECTIONEM: quod itidem allatis
octo eiusdem insignibus ac titu-
lis probatur.*

HActenus Caritatem contulimus cum
gratia: cui, vt vidimus, nihil concedit
Caritas vel dignitatis, vel PERFECTIONIS:
cumque nihil ad diuinæ naturæ participatio-
nem ac vnionem adducat fortius, propius ad-
tingat, nos denique Deo præ cæteris donis cæ-
lestibus arctius deuinciat, in ea PERFECTIO re-
ponenda est: & si lubet, etiam ea beatitudo,
quam in hac peregrinatione consequi possu-
mus, collocanda.

*Tertia ra-
tio princi-
palis, qua
probatur
Caritatem
esse Perfe-
ctionem.
Caritatem
esse beati-
tudinem
via.*

Ea namque PERFECTIO NIS nomen meretur
virtus, quæ nos in hac vita, quatenus liceat, bea-
tos efficit. Sicut enim in patria PERFECTIO-
NIS titulis merito ornanda est illa operatio,
quæ vt omnium perfectissima, nos perfectissi-
me Deo, bono increato, adiungit ac congluti-
nat indissolubili nexu, quæque fons & radix est
omnium bonorum, quibus anima deinde exu-
berat ac circumfluit, quæ nos denique beatos
facit: sic & in via eam virtutem atque operatio-
nem PERFECTIO NIS prærogatiua
ornandam putamus, quæ & perfectissima
est, nosque firmissimo nexu in creato bono ad-

Ec 2 strin-

PERFECTIONEM
esse beatitudinem

D. Th. 1. 2.
q. 66. a. 6.

1. Cor. 13.

Lib. 83.

Quest. 7.
86. tom. 4.

2.

stringat, ex quo omnia gratiarum fluentia pro-
manent, & quantum via patitur, nos effi-
ciat beatos. Eam vero virtutem Caritatem esse
arbitramur: eius enim operatio perfectissima
est: quia perfectissimo modo tendit in Deum,
quod viatoris proprium est. Et licet spes & fides
in Deum tendant, non ea tamen excellentia
vnde D. Paulus dixit, *Maior autem horum est Caritas*: ideoque merito beatitudo via appellanda
nam beatitudo, in quocumque spectetur status
debet esse status illius perfectissima operatio.
Illa est, inquit D. Paulus, *maior horum Caritas*.
Hinc D. Augustinus: *Deus igitur, & animus qui
matur, Caritas proprie dicitur purgatissima & in-
summata, si nihil aliud amatur*. Hec Augustinus.

Accedit, maximam PERFECTIONEM ho-
minis in hac vita esse, perfecte munus obis
viatoris ad caelestem patriam contendentis: si
enim est finis noster, dum in hoc vivimus status.
Hoc vero munus non consistit in consecutio-
ne, apprehensione, ac possessione summi boni,
sed in contentione, cursu, ac conatu; in accel-
sione & appropinquatione ad illud infinitum
bonum, tamquam ultimum terminum. Hoc
vero munus exercet Caritas, & nos ad cursum
incitat, & ad Deum perfectissime tendere ac-
que adspirare compellit. Eius enim functio-
nes tendunt in Deum, ut est in seipso immen-
sus, infinitus, summeque bonus, & sub excel-
lentissima ac purissima ratione; nempe propter
ipsum purissime, & sine respectu villo privati
commodi.

Beatitudinem quoque merito vocari Caritatem, quod ei beatitudinis effectus optime ostendunt: vnit enim animos nostros summo honore, quatenus condicio mortalitatis nostrae permittit: ita enim Christus Patrem rogat ut finis cum illo vnum, sicut ipse & Pater vnum sint: quod per Caritatem efficitur. Ex ea quoque tanquam fonte, omnia deinde bona procedunt, virtutes, diuina protectio, visitationes caelestes, communicatio bonorum cum beatis, cum omnibus qui Deum timent: quod de seipso Vates Regius testatur: *Particeps ego sum omnium timentium te.* Adde quod omnes hominis operationes viuificet, & in Deum dirigat: & sic beati Deum tamquam finem vltimum contemplantur, sic & Caritas finem sese ceteris virtutibus ac praeceptis exhibet. Denique eius operationem perfectam maxima sequitur delectatio, quae huius beatitudinis decor ac fructus est: quod Apostolus his verbis indicat: *Fructus autem Spiritus est Caritas, gaudium, pax, patientia.* sed de his latius in titulis Caritatis, quos iam aggredior, hisque subiicio.

Primum ergo inter insignia, decora, ac ornamenta Caritatis beatitudinem collocamus, quod in se omnes praerogativas ac titulos continent: nam *beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Hinc Chrysostomus vocat Caritatem bonorum omnium radicem & fontem & parentem. Item: *Sola, ait, Caritas aeterna est, quia cum Deo in sanctis est, & ideo maior est.* Denique nullum *maxime sine Caritate perfectum est, nullum donum*

3.
Beatitudinis fructus.
1.
Ioan. 17.
2.
3.
4.
Gal. 5.
Quarta ratio principalis.
Insignia Caritatis seu tituli.
1.
Esse via beatitudinem.
Chrysolib.

Ee 3 sine

RECIUS
portus
1015

de incom- sine Dilectione aptum. Omnia quæ Spiritus sanctus
prehensibi- deuotis impertit, aut Caritate perficiuntur, aut sine
li Dei natu Caritate effectum nullum sortiuntur. Denique
ra, hom. 1. ipsum martyrium sine Caritate impleri non potest, sicut
in princ. 10. sine martyrio Caritas sola perfecta fit. At D. E-
5. phræm solus pro omnibus hanc veritatem ex-
Serm. de fi- phræm solus pro omnibus hanc veritatem ex-
de, Spe, & plicet. Serua, ait, Caritatem vt pupillam oculorum.
Carit. tom. Lux & vita in ea sunt: serua eam. Gaudium est om-
4. nibus adherentibus ei: diuina est possessio, Angelicæ
In tract. Cæ dignitas: tene eam. Si dilexeris eam renouabitur
tum c. de aquila iuuentus tua: si seruaeris eam, erit tibi ex-
doctr. va- ratio coram Angelis Dei. Si eam dilexeris, prop-
ria, & de raberis in cunctis operibus tuis: si dilexeris eam, habi-
humil. com- tabit in te gratia Dei, eritque gratia instar fontis dis-
paranda, c. lantis medicamenta hominibus, bonusque odor ex
99. cor tuum exhilarabit. Columna hæc est omnium
virtutum: nullus in ea reperitur dolor mortis: infirmitas
& fortitudinem, patientiam & pacem edocet: be-
nignus Dei est: eam serua. Hæc Ephræm. quæ omnia
beatitudinis sunt proprietates, quas hi facti Car-
ritati attribuunt.

2. Titulus. 26 Alterum decus seu titulus Caritatis est
Esse finem quod finis sit omnium. Et quidem primum finis
omnium. quod finis sit omnium. Et quidem primum finis
1. Legis. Legis est vniuersæ; & in his duobus mandatis
Matth 22. Christus, vniuersa Lex pendet, & Prophetæ, quæ
In Enchiri. de re ita Augustinus: Omnia præcepta diuina re-
c. 121. tom. 3 feruntur ad Caritatem: de qua Apostolus: Finis autem
1. Tim. 1. præcepti est Caritas de corde puro, & conscientia bo-
na, & fide non ficta. Omnis itaque præcepti finis est
Caritas: id est, ad Caritatem refertur omne præceptum.
Quod vero ita fit vel timore pœnæ, vel aliqua interme-
ne carnali, vt non referatur ad illam Caritatem, quæ
diffusa

diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris, nondum
 quemadmodum fieri oportet, quamuis fieri videatur
 Caritas quippe ista Dei est, & proximi, & utique in
 duobus praeceptis tota Lex pendet, & Prophetæ adde
 Evangelium, adde & Apostolos; non enim aliunde
 ista est. Finis praecepti est Caritas. Quaecumque
 ergo mandat Deus, & quaecumque non iubentur, sed spi
 rituali consilio monentur, (ex quibus vnum est, Bonum
 est homini mulierem non tangere) tunc recte fiunt, cum
 referuntur ad diligendum Deum, & proximum pro
 per Deum, & in hoc saeculo, & in futuro. Hæc Augu
 stinus.

Est etiam finis virtutum omnium; quia ad fi
 nem suum referre potest singularum virtutum
 actus, & eos imperare. Ideo Apostolus dicit fidē
 per Caritatem operari: spem non confundere, quia Ca
 ritas Dei diffusa est in cordibus nostris. Caritas patiens
 est, benigna est, Caritas non emulatur. Quid mi
 rum? nam exercere potest omnium virtutum a
 ctus, & ad se referre: quia virtutum omnium fi
 nis est.

Est & finis Scripturarum: eo enim dirigun
 tur, vt Deum proximumque diligamus: vt ele
 ganter D. Augustinus: Quidquid salubriter mente
 concipitur, vel ore profertur, vel qualibet diuina pagina
 insculpitur, non habet finem nisi Caritatem.

Finis est creaturarum omnium, quæ ad Ca
 ritatis communicationem à D E O conditæ
 sunt.

Est finis hominis, qui à Deo destinetur vt Deū
 suum diligat ei que seruiat. Nec vnumquam in hoc
 mundo, nedum in altero, beatus erit, si

Ec 4 Amo-

Amori creatoris sui defuerit. Denique si Deus finem sibi præstitutum haberet, ille Caritas esset. Et sane omnia propter semetipsum operatus est Dominus.

Prou. 16.

3. Titulus,

Præcepto-

rum ac cõ-

filiorum es-

se consum-

mationem.

Li. 2. de Sa-

cer dot. post

medium.

Ioan. 13.

Rom. 13.

Li. de disci-

Christ. c. 2.

tom. 9.

Rom. 9.

27. Ex hoc sequitur aliud insigne Caritatis summum esse præceptum, præceptorum & cõfiliorum complexionem ac consummationem: quare Chrysoströmus, *Notin'* ait, *Caritatis quanta sit vis? certe Christus reliquis prodigijs ac miraculis posthabitis, quæ ab Apostolis edenda essent. In hoc, inquit, cognoscent omnes quod discipuli mei sitis, si Caritatem inter vos mutuam habueritis. Quin etiam Paulus Caritatem Legis esse consummationem affirmat sine qua ipsa dona nulli esse vsui vult: Diuus autem Augustinus erudite admodum hac de re. Præcepta, ait, quibus ipsa vita bona continetur, imperantur, & discitur, multa omnino præcepta sunt, & innumerabilia: præceptorum ipsorum paginas vix quæquam enumeret: quanto magis ipsa! Quæ voluit nomen Deus, propter eos qui se possent excusare, vel quia eis non vocat legere, vel quia non norunt legere, vel quia non possunt facile intelligere: ut excusationem nemo habeat in die iudicii, voluit, sicut scriptum est, consummare & breuiare verbum super terram. Hoc ipsum verbum consummatum, & abbreviatum, nec obscurum esse Deus: voluit: ideo breue, ne non valeat legere: ideo apertum, ne quis dicat, *Mihi non licuit intelligere.* *Thesaurus ergo est magnus diuinarum Scripturarum, habens in se mirabilia præcepta, & multa, tamquam multas gemmas, & pretiosa monilia, & varia ingentia, & magni metalli. Sed quis potest scrutari thesaurum istum, & vti eo, & peruenire ad omnia quæ**

si sunt? Ideo post similitudinem de thesauro abscondi-
 to in agro, ne quis se minus idoneum diceret ad per-
 scrutandum thesaurum, continuo dedit aliam simili-
 tudinem de pretiosa margarita: vt, si piger eras ad the-
 saurum perscrutandum, non sis piger vnā pretiosam
 margaritam sub lingua ferre, & quouis securus am-
 pilare. Et hoc est verbum consummans & abbrevians:
 Diligas Dominum Deum tuum. Hæc Augustinus, *Matth. 22.*
 Continet ergo Caritas præcepta omnium vir-
 tutum, omnis Legis, siue scriptæ, siue ore pro-
 latæ. Probat ea quæ à Regibus feruntur, à pa-
 rentibus, à magistratu, à superioribus; vultque
 vt ea seruentur. Suadet paupertatem, iuuat eos
 qui castimoniam diligunt: quos ad votum obe-
 dientiæ nuncupandum, nonnullorumque ali-
 orum consiliorum Deo præpositisque obser-
 vandum inclinat. Et hæc quidem, vt tamquam
 muri & aggeres seruiant ad amorem Dei tuen-
 dum, ipsaque liberius in amplexus amantissimi
 Domini sui irruere, eius obsequiis delectari, ac
 hinc tamquam summis deliciis commorari se-
 curius valeat.

*Matth. 13.**Matth. 22.*

4. Titulus,
 Caritatem
 esse vitam
 virtutum.

I.

Anima si-
 ne Carit-
 ate similis
 est corpori,
 mortuo.

28. Aliud insigne Caritatis est, quod Caritas
 anima sit, vita, PERFECTIOQUE virtutum ce-
 lerarum: adeo vt, Caritate sublata, earum nul-
 la remaneat: ipsa præsentē, reuiuiscant om-
 nes, & velut altra quædam ab ea, tamquam à
 sole, lucem vitamque accipiant. quod maxi-
 mum habet & momentum, & vtilitatem: vt e-
 nim corpus mortuum nullam viuentem o-
 perationem facit, truncoque similis est quam
 homini; sic & anima sine Caritate, etiam si

Ee 5 to-

PERFECTIO
 virtutum
 anima
 vitamque

*Opera fa-
cit infru-
ctuosa.
Similia.*

totum mundum expugnare possit. Accedit quod opera, quæ Caritate absente fiunt, infructuosa sint, nulloque modo meritoria: talis enim qui Caritatem non habet, peccati mortisque seruus est, Dei inimicus, minusque idoneus quam ut aliquid possit promereri. Sicut qui domesticus non est patris-familias, de mensa quoque eius non participat: & qui extra vineam pulsus, denarium diurnum non potest exigere: neque qui in gratiam Domini cuius non operatur, ab eodem laborum premium petere: sic qui caret hoc insigni Caritatis ac decore, nec panem nec mercedem potest mereri, etiam si ieiunauerit, corpus flagellauerit, pauperibus largitus eleemosynas fuerit: *non enim & ethnici hoc faciunt?* at quam illi recipiunt mercedem?

Matth. 5

3.
*Non satis
facit pro
peccatis.
Eccle. 34.*

Addo, hunc eo statu idoneum esse qui pro peccatis satisfaciat: *dona enim iniquorum non probat Altissimus.* Quod si quippiam impetratur a Deo fuis precibus: utique oratio eius in peccatum, eritque execrabilis coram Deo si animum ad reconciliationem non statuat.

4.
*Nihil me-
retur.
Simile.*

Nec unquam vel gratiam vel gloriam meretur: est enim Caritas meriti radix, à qua & vitæ & folia, & flores, & fructus procedunt, quæ si rami non adhærescunt, ac tutum exsiccantur & virorem fructumque non ferunt, quia radicibus succo non aluntur.

5.
*Compara-
tur soli.*

Hinc etiam Caritas comparatur soli, à quo pendet animalium vita, & conseruatio mundi.

Tolle è cœlo solem, mundum sustulisti: sequi-
 tur vniuersæ terræ interitus. E microcosmo so-
 lem tollis, cum Caritatem extinguis.

Altius ascendo, & Caritatem cum Filio Al-
 tissimi comparare non reformido. Vt enim ni-
 hil vel in cœlo vel in terra est, in quo ita bene-
 placitum est Deo, sicut in Filio, quem ex se ab æ-
 re genuit, & in tempore mortalibus conce-
 dit: ita in rebus creatis nihil gratius est vel in
 cœlo, vel in terra, Caritate: in qua veluti sola,
 aut præ ceteris omnibus, Deus sibi complacet:
 nihilque ei gratum, quod Caritatis venustate
 destitutum est. Est namque per se pulchra, Deo-
 que grata: & sicut filius in parentis oculis sem-
 per gratissimus est, ita & Amor, & ardens in
 Deum Caritas.

29. Illud mirandum in Caritate, quod non
 tantum virtutum operibus vitam tribuat, sed
 etiam rebus naturalibus, quæ ex se à vita spiri-
 tuali absunt longissime: quales sunt, comedere,
 bibere, & alia ad vitæ humanæ sustentatio-
 nem opera necessaria. Terrea sunt hæc: non est e-
 nim regnum Dei esca & potus: cum vero à Caritate
 prodeunt, aurea efficiuntur. Fabula est, Midam
 Gordiæ bubulci filium, Ph ygum Regem, plus
 æquo auri appetentem, à Baccho, quem domi
 hospitio exceperat, impetrasse, vt, quidquid at-
 tingeret, illud in aurum verteretur. Itaque &
 mensa, & cyathus, & panis, & vestis, & pauimé-
 tum, & domus ipsa in aurum mutata sunt.
 Quod naturaliter fieri nequit, hoc Caritatis vis
 potest efficere: mutat enim omnia in aurum: &
 ter-

6.
 Compara-
 tur Filio
 Dei.

7.
 Rebus na-
 turalib. vi-
 tam tri-
 buit.
 Rom. 14.

RECIUS
 O per d
 O O

terram, cum ad Dei obsequium illam calcas: & panem, cum illum frangit pauperi; & aquam, cum Christi amore eam porrigit: & mensas, & lecta, cum ad honorem Dei iisdem utitur. Ideo Ioannes, *Suadeo, inquit, tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias.* Hoc pete à locuplete Caritate, & Mida ditior eris. Hinc Dicitur

1. Cor. 16.

Paulus, *Omnia, inquit, vestra in Caritate fiant:* & quidem in Caritate, & ex imperio Caritatis. Ideo

1. Cor. 10.

alibi idē Apostolus: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Hoc est imitari Salomonis magnificentiam, quod templum suum auro omni fere loco vestitum nihil erat in templo quod auro vestitum non esset. Si oculis intueare, si lingua, si auribus, corde, si capite, si manibus & pedibus, si animo & corpore ex Caritatis imperio utaris: quicquid hisce tetigeris, vertetur in aurum obryzum & purissimum totus auro fulgebis, vestire auro, templumque eris Deo gratius templo Salomonis, in quo Deus ipse requiescet, & lubet deprecationes tuas exaudiet.

8.

Caritas aliena facit sua nullo aliorum dāno.

1. Ioan. 1.

30. Illud alterū mirandū est, auctore D. Gregorio: Caritatem aliena opera efficere propriam si enim probes, si ames, si aliena placeant, & alia qua ratione in societate operis venias: aliena tu efficiuntur. vnde D. Ioannes: *Si autem in luce ambulamus, societatem habemus ad inuicem, & sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato.*

9.

Nec omissendum, Caritatem omnium operum, quæ in Ecclesia fiunt, nos facere participes ipsa enim nos capiti Christo coniungit, cui

corpus coagmentatum est: & quod vnum mem-
brum facit id bonum est toti corpori, & mem-
bris ex eo singulis sua portio accedit.

Quintum Caritatis elogium est, quod sti-
mulus dici possit omnium virtutum: etenim eas
excitat in nobis, & vt officij sui memores sint,
quodammodo hortatur: qui enim singulari
amore Deum prosequitur, desideris multis æ-
quatur eidem complacendi, eiusque obsequendi
voluntati: quæ in hoc consistit maxime, vt
mandata eius custodiamus, vt virtutes omni lo-
co & tempore exerceamus. Quæ enim sponsa
maritum diligit, omnia studia sua, opera, orna-
tum, cu ras ad mariti transfert beneplacitum: &
sic cor eius videre maritus possit, sua omnia de-
sideria & voluntates in ea agnosceret: sic & qui
sponsæ adinstar Deo afficitur, vult quidquid
Deus, facit quidquid ipse desiderat, in eius
explenda voluntate totus acquiescit. In hoc
inter amores humanos & diuinam amicitiam
differentia est, quod alter coniugum alte-
rius animum non penetret, nec videat, Deus ve-
ro cor intime videat, penitusque intueatur: sed
quanta tua voluptate, nostroque fructu! faciter-
go Amor, vt & interius preciosis monilibus vir-
tutum ornemur, & exterius fulgentibus operum
gemmis colluceamus: denique Deo similes ef-
ficemur, qui, cum simplicissimus sit, omnium
tamen virtutum ac PERFECTIÖNVM
laudibus atque aggregatione cumularur. Cari-
tas quoque perfecta nos simplicissimos facit,
quia vnus Amor est, non amulatur, non agit perperâ

*Facit nos
participes
omniū bō-
norum.*

*Titulus
Caritatem
esse stimū-
lum omniū
virtutum.*

Simile.

*Caritas
nos Deo si-
miles facit.*

1. Cor. 13.

non

PRECIOUS
part
1000

non inflatur, non est ambitiosa, non querit qua sua sunt, hæc enim simplicitati aduersantur: nihilominus & patientiæ, & spei, & fortitudinis, & iustitiæ vices subit: vna denique & simplicissima virtus est, & omnes virtutes in se continet, quia

Ibidem.

Caritas igni comparatur.

Caritas patiens est, benigna est: omnia suffert, omnia sperat, omnia sustinet.

Adde quod Caritas igni soleat comparari, cuius vis maxima omnia in se conuertit: sic & Caritas maxime diuersa in naturam suam transfert, & velut ars alchymistica virtutum omnium actuumq; naturalium opera in ignem & Amorem conuertit.

Caritas omnibus vitijs aduersatur.

32. Hic stimulus duos fructus parit. Vnus est quod, sicut ad omnes virtutes impellit, ita vitia omnia profligat: & sane persequitur quidquid amico displicet, quidquid sibi nouit maxime aduersari. Quid vero Dei amicitia ac Caritati magis aduersatur quam vitia? ergo odit, & quantum in se est, perdit, destruit, & proculcat. Alter fructus est, quod cum omnibus virtutibus calcaria subiiciat, tum in primis fortitudinis virtute nitatur, auctore D. Thoma, Efficit enim vt Dei amicus aliarum virtutum ferat molestias, ardua molliatur ac suscipiat excelsi animo,

Caritatis fortitudo.

2. 2. q. 139. a. 2. ad 2.

Ratione declaratur.

in periculis & doloribus mentem obduret, nec difficultates tam ratione metiatur, quam desiderio. Effectus namq; suarum causarum sequuntur naturam: vt, si potentes ea sint, similes effectus futuri sint, qui ex eis prodeunt. Cur auerius tot laboribus diuitias parat? Quia diuitiarum in eo magna cupiditas, quæ desiderium generat: desiderium

desiderium vim admouet, vt rem cupitam con-
sequatur. Magna vis animalium est in confer-
endis catulis, quorum causa sese venatorum
renabulis ac spiculis intrepide & pertinaciter

*Natur. hist.
li. 8. ca. 18.*

obiciunt. Narrat Plinius tigridem matrem so-
lere adeptos catulos mira fortitudine recupe-
rare. Eius verba sunt. *Tigrin Hircani & Indi, ferunt*

*anim. al. velocitatis timida, & maxime cognita dum
capitur. Totus enim foetus qui semper numerosus est*

*ab insidiante capitur, equo quam maxima pernici: at-
que in recentem subinde transfertur. At vbi vacuum*

*mobile reperit foeta (maribus enim cura non est sobolis:)
fertur praeceps odore vestigans. Raptor appropinquante*

*frmitu abiicit vnum e catulis. Tollit illa morsu, &
condere etiam ocyor acta remeat, iterumque consequi-
tur, ac subinde donec in nauem regresso, irrita feritas*

*venit in litore. Haecenus Plinius. Hoc amor & c.
Hoc amor catulorum efficit: quod & in paren-
tibus erga proles fieri experientia cognosci-
mus. Prima autem causa quae ad agendum*

*incitat, finis est: cuius Amor, quo maior est, eo
subsequentes causae potentiores effectus pro-
ducunt. Cum vero Deus finis rerum sit omniu,*

*& beatitudo nostra: eius Amor si magnus sit,
magnum quoque excitabit desiderium, vimq;
ingentem imprimet ad illum finem assequen-
dum. Fortitudo ergo illa à primo fonte ac radi-
ce procedit Amoris: ideoque Caritas fortis vt*

*mors dicitur, quod omnia vincat, vt D. Augusti-
nus diserte explicat. Virtus (inquit) Caritatis est,*

*quam nemo vincit: huius ignem nulli fluctus saeculi,
nulla flumina tentationum extinguunt: de hac*

dictum

Cant. 8.

In Ps. 47.

sub fin. to. 8

1.
Caritas
fortis ut
mors dici-
tur ob va-
rias cau-
sas.

Epist. 29.
ad S. Hier.

Ioan. 15.

2.
Caritas
fortior
morte.

Enc. 24.

dictum est, Valida ut mors Dilectio. Quomodo enim mors quando venit, resisti ei non potest: quibuslibet artibus, quibuslibet medicamentis occurras, violentiam mortis vitare non potes, quoniam mortalitatis natus es: sic contra violentiam Caritatis mundus nihil potest. Contrario enim similitudo data est de morte. Quomodo enim mors ad auferendum violentissima est, sic Caritas violentissima est ad saluandum: per caritatem enim multi mortui sunt seculo, ut uiuerent Deo. Hæc ibi. Alias causas fortitudinis Caritatis alibi assignat idem Augustinus. Merito dicta Caritas, fortis ut mors, siue quia nemo eam vincit sicut mortem, siue quia in hac vita usque ad mortem est mensura Caritatis, sicut Dominus ait: Maiorem hac Dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis: siue potius quia sicut mors auellit animam a sensibus corporis, sic Caritas à concupiscentiis carnis. Hæc Augustinus.

Nec tantum fortis est Caritas ut mors, sed morte fortior est: triumphat enim de morte, de tyrannis, & de mortibus plurimis reposita trophæa. Clamant tyranni, qualis Decius contra D. Laurentio decertans, Dacianus cum S. Vincentio, aliique plurimi: Vincimur, & cogitationibus nostris in tormentis inueniendis maiores animos, morteque ipsa generosiores, inuenimus. Est enim Caritas lorica salutis undique munita: quacumque eam aggrediaris, tundi potest, contundi frangique non potest. Amicus ille est, quem Christus Apostolis ante discessum ita promiserat: Sedete in ciuitate, quoad usque inducimini virtute ex alto.

Et quid mirum, si Caritas triumphat de mun-
do, de carne, de tyrannis, de morte, cum ipsum im-
mortalitatem aggressa vicerit, auctore Bernardo; & in
hunc mundum eum pertraxerit, seruum reddi-
derit, legi subiecerit; esurire, sitire, algere, vagire
mori denique coegerit? hæc enim Amor salu-
tis nostræ in Deo operatus est, vt pie D. Ephræm
hæc ipsa (inquit) rursus vnigenitum Dei Filium ad nos
oculis attraxit. Per hanc Caritatem Deus humanam
naturam assumpsit, incorporeus incarnatus est, inuisi-
bilis visibilis factus: per hanc paradus apertus est, li-
beratus est fortis, anima facta est sponsa Christi. Nam
anima absque Caritate hac fuerit, non complacebit
sibi in ipsa celestis Dominus.

3
Caritas
Deo non in-
ferior for-
titudine.
Serm. 64.
in Cant. in
fine.
Lib. de ex-
tremo iudi-
cio, & com-
punctione
cordis.

Vincit deinde Caritas possessorem suum: nam
& parentes plus filiis quam sibi viuunt: nulla
necessitate laborant & fatigantur; malunt
filiis delicias, quas ex ore depromunt ac detra-
hant, quam sibi. Ita etiam verus amans non sibi
vivit, sed Deo amicissimo; ei thesaurizat, ei deli-
cias parat & porrigit. Siue enim viuimus Domino vi-
uimus: siue morimur, Domino morimur. Siue ergo viui-
mus, siue morimur, Domini sumus.

Caritas
vincit pos-
sessorem suum
Rom. 14.

Denique Caritas sibi auara, aliis prodiga, pro-
fundit se suaque omnia in eum quem amat: se-
ra in se, benigna in amicum; sese spoliat, vt
eam vestiat: & sicut gallina, vt oua foueat, calo-
remque pullis venturis impertiat suum, plumas
pectoris exuit, atque infatigabiliter incubat;
& Caritas lubens donat quidquid habet; se-
que spoliat, vt Deum in membris foueat ac cõ-
muet.

5.
Caritas a-
uara sibi a-
liis prodiga
Simile.

THECIUM
O per
1000



6. Titulus. 33. Sextus Caritatis titulus est, quod iugum Domini leue efficiat ac suaue. Optime dictum: Qui amat, aut non laborat, aut ipsum amat laborem; quod confirmat D. Bernardus his verbis: *Vbi amor est, labor non est.* & alibi: *Fateor, inquit, non sustinui pondus diei & aestus, sed iugum suaue, & genus leue: pro beneplacito patris familias porto opus meum vix vnus hora: & si plus, pro amore non sentio.* Caritas namque in rem dilectam oculos perpetuo habet intentos; cumque ad eam per labores perueniendum sit, ex finis delectabilis recordatione media ipsa amaritudinem perdunt, dulcedine perfunduntur: non enim solum mel dulce est, sed & quidquid cum eo gustatur.

Gen. 19.

Tales fuerunt labores Patriarchæ Iacob, qui memor pulchræ Rachelis, cuius amore tenebatur, ne quidem annorum quatuordecim labores ac molestias sensisse visus est. Quam multo vitiorum serui ac mancipia patiuntur! quam multa ambitiosi, umbras honorum! quam multo ambitinosi, voluptatum simulacra prosequentes vix tamen sentiunt, quia Amor laboribus permixtus, quasi vehiculum quoddam, patientem subleuat ac deuehit, vt voluptatis captus illecebra dolorem non sentiat. Quanto magis id vitium venire debet vbi & honestum est quod amatur, & Amor ipse præsertim, quo rem ipsam consequi nitimur.

7. Titulus. 34. Septimum Caritatis insigne est, quod singulas partes capiti finique suo copulet, ipsaque sic vniant inter se, vt à capite in singulos homines tamquam in membra, omniū bonorum generum

confluant. Capiti, inquam, hominem Deo fi-
 cilio copulat, in illumque transformat ac com-
 mutat. Est enim amor vita quaedam duo copu-
 las, amantem nempe ac amatum, vt vnum
 quali ex duobus conflatum dixeris. Cum de
 coniugibus Scriptura dicit, *Erunt duo in carne*
vna, non videtur literalis sensus commode capi
 posse, nisi *συνηδοχιμῶς*, vbi pars pro toto
 ponatur in tori immaculati copula: corpora e-
 nim coniugum duo, sunt multarum partium,
 et magnæ molis. Nec dicit, *Erunt duo spiritus*
in carne vna; sed, *Erunt duo coniuges in carne*
vna. potius dicendum videretur, *Erit vnus*
spiritus in duobus corporibus; aut, *duo spiritus*
in mutuis corporibus. Vera tamen est Scriptu-
 ra, & sapienter prolata, sed longe perfectius im-
 pletur in veritate quam in figura: *Sacramentum*
hoc magnum est, ait Apostolus; *ego autem*
in Christo & in Ecclesia. Ante, ex Diuo Bernar-
 do, matrimonium spirituale Dei ac hominis de-
 scripsimus. Hoc etiam Diuus Ephræm gra-
 uitate his verbis expressit: *Est anima nostra spon-*
sa sancta facta immortalis Sponsi: nuptiarum autem
copula diuina sunt Sacramenta: per qua sancta ani-
ma iungitur Sponso, dum cum timore atque tremore di-
gu sumuntur. Verissimum ergo est, *Erunt duo*
in carne vna, cum Deus nobis singulari Amore
 coniungitur. Totus Deus in homine est, & to-
 tus homo in Deo: qui enim *manet in Caritate*, in
 Deo manet, & Deus in eo. Quod si velit duo
 integra corpora permisceri, quod in coniugi-
 bus impossibile est, in Eucharistiæ Sacramen-

RECIPIT
 DE
 DE
 DE

to fit. Homo Deo copulatur, vt in vna eademque carne hominis, duæ naturæ diuerſæ ſunt, duo corpora, duæ animæ, natura itē humana Chriſti ac diuina, tres perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis: in carne vna, inquam, in corpore hominis Deum ſuum diligentis, ac participantis tremenda Myſteria.

Figura. 2.

35. Hæc vnio alia ſimilitudine clarius illuſcetur: vt enim cera cum ſigillo impreſſo vnũ ſunt, ita & Deus vnitus cum anima. Eſt enim intellectus, teſte Philoſopho, quodammodo omnia: quia, ſi domum videat ac cogitet, ideat domus eſſormat in ſe, ac repræſentat, & quodammodo domus eſt: ſi hominem, hominẽ denique Deum, quodammodo Deus eſt. Et voluntas, cera eſt: ſi ſignetur Amore Dei, illum tamquam characterem impreſſum accipit, et imaginem voluntatemque Dei concipit. Hinc merito tales ſumus, qualis Dilectio eſt: & Apoſtolus dicit: *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem caeleſtis*. Hæc transformatio naturarum non eſt, ſed affectionum; ſicut mater impenſiſſime filium diligentis: vtriuſque, itaquam, matris & filii cogitatio, vtriuſque deſideria ac voluntas in mente matris eadem ſunt, quidquid boni eſt in mundo, imo & propria bona, filio optat ac precatur. Vnde Cato ſentit optime, qui vere amat, eum ipſum mortuum eſſe in proprio corpore, & viuere in alieno. Verum quoque illud eſt à D. Bernardo dictum, præſentior eſt patrium noſtrum eſſe vbi amat, quam vbi animat. Ita anima Deum amanti, eiufque deſiderio a-

I. Cor. 15.

ſtatur.

Li. de præcepto & diſpenſat. c. 27.

ſtatur.

stantis, plus in Deo est, quam in corpore quod informat: eique omnia possibilis bona exoptat, para a commodis omnibus carere, multa perferre incommoda, modo Dei gloria augeri promoueri que possit.

D. Paulus huius transformationis exemplum præbet accommodum, de surculo qui arbori inseritur: fit enim is simul vna arbor, viuunt ex radice, fructus profert, quos ex se non possit. Ita & nos vnum efficimur cum Deo & inserimur per Caritatem: ex eo viuimus, & fructus eminentes producimus. hinc D. Paulus: *Viuo autem, iam non ego, viuunt vero in me Christus.* *Figura. 3. Rom. 11.*

Denique qui aliquid amat ardentius, non quiescit, donec illud consequatur, & quodammodo eius formam induat: vt qui litteras amat, qui Theologiam, qui Iurisprudentiam, qui humilitatem, non tantum formas suscipit scientiarum ac virtutum, sed etiam nomen sortitur: litteratus enim dicitur, Theologus, Iurisconsultus, humilis. Sic qui Dei amicitiam consecutus est, amicus Dei appellatur: quia quodammodo Deum induit, eius figuram ac formam animo suo impressit, ideo diuinus, imo & Deus appellatur. *Ego dixi (ait Dominus) Dii estis, & filii excelsi.* *Figura. 4. Psal. 81.*

Vnit etiam Caritas partibus partes: membra enim sumus corporis Ecclesie, vt Apostolus. *Vos autem estis corpus Christi, inquit, & membra de membro.* *Caritas vninit partes inter se. I. Cor. 12.* Hoc corpus vno spiritu Caritatis unificatur: vnitur cum capite, à quo spiritus *Act. 4.*

THECIUM
 Oportet
 Oportet

1. Pet. 3.

dimana: hinc illud sequitur, multitudinis creditum esse cor vnū, & animam vnā. Hinc D. Petrus mandat vt simus vnanimis: quia vna Caritas, vna omnium est anima. Christus denique pro Apo-

Ioan. 17.

stolis rogat Patrem, & pro nobis. Non pro eis rogatum, ait, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me; vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Hinc apud

Lib. de di-
uinis no-
min. c. 4. p.
2.

D. Dionysium Hierotheus: Amor siue diuinus, siue Angelicus, siue spiritualis, siue, vt ita dicam, animicus, siue naturalis, virtus vniuersa est, superiora ad inferorum mouens prouidentiam, & aequalia ad sociationem adigens.

De gradib.
Caritatis,
5. 4.

Sicut ergo nos vnit Deo, ita etiam proximo copulat: & ad seruandum locum nobis congruum in Ecclesie corpore, siue inferiorem, siue superiorem, pro exigentia nostri status aut dignitatis, suauiter & potenter impellit. Idem

Richardus à S. Victore. In se, ait, per Amorem homo vnus efficitur, dum se intra se recolligens, & rebus suis affectibus cunctis à locis quibus captiui teneantur, solum vnum incommutabiliter amat, nec amplius diuersa mutatur. Paratus enim per Amorem in plura vnquam sibi inuenitur vnus vel idem, sed semper sibi ipsi dissimilis: quia toties variari cogitur, quoties quod amat variatur. Proximo etiam per Caritatem vnitur homo, dum non solum sine querela, quam in ipso est, idem omnibus studet effici, sed & omnium successibus coaptari, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, infirmari cum infirmantibus, & cum

In Ps. 22. ex
pos. 2. to. 8.
Ioan. 19.

scandalizatis vri: & elegantissime D. Augustinus in hæc verba: Erat ibi tunica, dicit Euangelista.

super texta. Quae est ista tunica, nisi Caritas quam nemo potest diuidere? Quae est ista tunica, nisi vnitas? ipsam fors mittitur, nemo illam diuidit. Sacramenta sibi heretici diuidere potuerunt, Caritatem non diuiserunt: & quia diuidere non potuerunt, recesserunt: illa autem manet integra. Sorte obuenit quibusdam. Qui habet hanc securus est. Nemo illam mox de Ecclesia Catholica: & si foris illam incipiat habere, intromittitur, quomodo ramus oliuae à columba.

Ex hac vnione membrorum inter se cum capite ac fine suo, virtutes profluunt omnes, vt Doctores loquuntur; dona item Spiritus S. & quidquid bonorum Deus Ecclesiae amicisque suis communicat.

17. Octauum insigne Caritatis est gaudium, quod omnem huius mundi delectationem superat. Deo vero Apostolus: Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras. Oritur pax, sicut & gaudium, ex praesentia dilecti: & quies quaedam est proueniens ex adepto & possessio bono, eo modo quo haberi potest. Sicut ergo à sole lumen, ab igne calor; sic ab Amore gaudium ac laetitia spiritualis quasi decor quidam emicans exortitur: auctorem suum Spiritum sanctum facile iudicans, qui animorum consolator appellatur. Hae consolationes excedunt humanum sensum sicut & ipsa Caritas, quae supereminens ab Apostolo nominatur. Primum, quia nobiliores potentiae sunt in quibus excitantur; in anima nempe rationali ac potentiis eius, quae praestant

D. Thom. 2. q. 65 a. 5

8. Titulus Gaudium humanum sensum excedens. Philip. 4.

Eph. 3. 1.

PRECIVS
 et per
 ois.



- corporis sensibus: unde effectus prodire nobiliores, quam sensuum delectationes, quæ brutis communes sunt, necesse est. Accedit quod huiusmodi delectationes non tam humanæ censeantur quam diuinæ, utpote à gratia excitantur.
3. Habent & pro obiecto non aurum, non humanam gloriam, fugacem ac perituram, voluptatem ex corpore promanantem, quæ plerumque cum immunditia coniuncta esse solet ac turpitudine: sed infinitum bonum, quod longe sublimius fortiusque afficit eas facultates, quas
4. peruadit, quam creaturæ omnes. Est & illud ipsum summum bonum velut centrum animæ rationalis, sine quo quiescere non potest: quod plenissime quidem satiabit in cælo, replet tamen in hoc mundo quantum ratio ac condicio peregrinationis nostræ patitur, etsi non omnino satiet desiderium nostrum. Hoc præsentem, euanescent mundi vanitates, fluxa quæque gaudia: sicut sole lucente, astrorum lux offuscata fugataque recedit. Hoc gaudium, auctore D. Thoma, ex bono amato primum, desiderato deinde, demum acquisito nascitur. Est enim desiderium, animæ motus in bonum optatum: cuius bonitatis & motus ipse conformis est: unde, si bonum illud vanum fuerit, similis erit & motus, & gaudium. Infinito ergo bono acquisito, etiam suum gaudium respondet, sed more viatorum, adhuc valde imperfectum comparatione beatorum. De libandas tamen propinat Dominus amicis suis primitias quasdam, & catellis sub mensa dominorum aspicientibus atque aspirantibus micat quasdam

Vnde gaudium oritur.

2. 2. q. 28. a.

4.

quasdam proiicit : quas cum Dauid probasset, *psal. 83.*
clamauit: *Cor meum & caro mea exultauerunt in
deum vinum : & propter has elegit abiectus esse in
domo Dei sui , magis quam habitare in tabernaculis
peccatorum: quoniam melior est dies vna in hisce atris
super millia.* Sanctorum plurimi mundum, & o-
mnia quæ in mundo sunt, palatia prædiaque ad
voluptatem composita, delicias denique om-
nes, hisce micis posthabuerunt: ac deserta loca
seruantes, in oratione & contemplatione, velut
satelli sub mensa, multis annis hisce deliciis im-
pleri sunt. Verum in hac mortalitate impleri
bonis possumus, satiari non possumus.

C A P. XXXIII.

*Quæ Caritas iudicio sanctorum Patrum sit
PERFECTIO.*

EX his, quæ diximus, id argumenti con-
fici potest: nullum esse virtutis genus,
quod hisce aliisue prærogatiuis, veræque P E R -
F E C T I O N I S insignibus, Caritatis splen-
dorem aut superet, aut etiam exæquet: merito-
que eidem Caritati P E R F E C T I O N I S no-
men ac titulos esse tribuendos, quando quidem
nos beatos efficiat, & æternæ felicitatis præli-
tationes quasdam cælestesque delicias præci-
tere faciat. Illud porro cognoscendum super-
est: *Quæ & qualis Caritas hæc decora ac prærogati-*

*Quæ Cari-
tas sit Per-
fectio.*

PRECIVS
O port
Oms

